

dent, non posse eam non ad humanam naturam referri. Itaque 6. accipimus, quod datur, & ea, quæ Cornelius ipse, hujus textus scripturæ, aliorumque, evidentia, vique convictus, largitur, ad confirmationem veritatis, quæ sua simplicitate vincit, usurpamus. Dicitur primo, hic & alibi de ipsa humanitate scripturam loqui. Secundo, de ea loqui post mortem, victoriam & ascensionem. Tertio additur, hac sessione doceri, ipsam humanitatem post ascensionem triumphare, dominari in Patris gloria. Sedet itaque Christus ad dextram Dei, quia secundum humanam naturam cum Patre dominatur omnibus creaturis, divino & uno cum Patre dominio omnia implet, & gubernat.

§. 11. Quod de dextra addit Cornelius ut *symbolo 1. virtutis & potentia. 2. firmitatis & constantia. Unde (ita explicat) dextera accipimus & apprehendimus res nobis propositas & oblatas. 3. veritatis & fidei: huic enim dextera quasi consecrata est: id ita accipimus, ut malimus cum scripturis acquiescere in primo, atque secundum ad illud revocare, a quo differre non videtur. Namque ex scripturis ostensum est, dexteram Dei, robur, virtutem, potentiam Dei significare, gubernatricem rerum omnium. Dextra sane res oblatas accipimus, quia robur habet, apprehensuri sinistra, si hæc sit validior. Quod vero infert Cornelius, accipimus, & quidem sensu simplice, quem ipsa insinuant legentibus verba. Pari modo, ita pergit loqui, sedere Christum ad dexteram Patris est Christum esse socium & participem virtutis & omnipotentia paterna &c. Dicit ergo sessio ad dextram Patris PARTICIPATIONEM OMNIPOTENTIÆ PATERNÆ. Quam realem esse participationem necesse est, quia sessio ipsa realis est. Et quam non ascendit ante resurrectionem Christus, tam etiam revera non sedit ante ascensionem. Neque enim post resurrectionem celebrari cœpit & inclarescere ascensio, sed post eam revera facta est.*

§. 12. Objicit ipse sibi Cornelius & respondet: *Dices, hæc Cornelii habuit Christus ante ascensionem, scilicet incarnatione. Respondeo, a Lap. non habuit gloriam corporis, reliqua vero habuit in actu primo, non tamen in actu secundo &c. Observamus 1. ad objectionem, quæ excipit, per sessionem non accepisse Christum id, quod jam habuit ante ascensionem, inque incarnatione ipsa, ita responderi, ut id didem.*

B

catur